

Ventricolasque necat vermes, pellitq; per alui

Lubrica, deiectis qua via nota cibis.

Quin, & paulatim putridis de mensibus ortos.

Serpentes uteri proijcit illa sinu.

Monstra lacertarum sadam referentia formam

Longa (Nefas) unum non minus atra pedem.

Huiusmodi animantes in muliebri utero generari non est difficile, cum notum sit ex foeminarum purgamentis in terram proiectis, & vltiorem putredinem acquirentibus, & serpentes, & bufones procreari. Hinc Ioannes Baptista Porta in magia naturali monumentis mandauit posse etiam in utero similia animalia gigni, quoniam purgamenta retenta ad altiore putredinis gradum accedunt. Id igitur contingere solet mulieribus impuro sanguine ob prauum victum redundantibus.

Lib. 2. cap. 4.

Nisi velimus causam huius monstrofi partus non in primum, sed in secundum semen emissum referre: siquidem nobis persuademus ex primo semine in uterum deposito partum vndequa; integrum resultare; cum deinceps error à secundo semine proueniat, quod excellentem natum putredinem aliquod absurdum animal procreat: quare Mattheus de Gradi in parte secunda ad Almanforem scripsit quoddam ex matrice mulieris exiuisse, & euolasse.

Varia in utero mulieris genita.

Demum congressus nefandus, nempe humanus, & belluinus ab his causis non est remouendus: nam, quamuis Philosophus hunc admittere aliquo in loco non videatur, nihilominus alibi scriptum reliquit animantes diuersæ speciei tempus grauiditatis aliquo modo æquale habentes, si congregiantur, procreare posse. Præterquamquod Plutarchus Philosophus non vulgaris pronunciauit, ex permixtione hominis, & equæ suo tempore venustam infantem natam esse. Præterea dispositio vasorum partum respicientium est consideranda: siquidem uterus vaccinus, quoad locum, humani foetus capax esse potest. Alias deinde causas huius generis potest Lector in Rubrica causarum vniuersalium inquirere.

DE MONSTROSA

Animantium statura.

Cap. X.



VANDO monstrosam Animantium staturam hoc in loco memoramus, non proceritatem Gigantum, neq; paruitatem Pygmæorum intelligimus, qui ferme ex natione Gigantum, vel Pygmæorum procreantur, cum de his in capite primo huius Historiæ verba fecerimus. Sed staturam cuiuscumq; animalis insolitam, siue ad paruitatem, siue ad magnitudinem inclinante sermonem habemus; qui partus ex Genitoribus consueta, & vulgaris staturæ orti, & crescentes similem staturam non adæquant, vel illam superant. Similes enim foetus magnam admirationem spectatoribus pariunt.

Consultò igitur prætermitemus pusiones cum magnis capitibus natos, qui in Rubrica foeditatum capitis sunt collocandi. Scimus enim ex Licothene, quòd in agro Piceno, anno post millesimum, & quadringentesimum septuagesimo secundo, natus est Infans facie magnitudinis insolitæ, & Clarissimus Licetus fatetur se vidisse Patauij, anno salutis post millesimum, & sexcentesium vndecimo, puellum quadrum maximo capite, nulla ad reliquum corpus proportionem.

Fœtus magni capite.

Modò, vt ad rem nostram redeamus, Valentiniani temporibus, duo homines quoad staturam monstrofi fuerunt inuenti, quorum alter in Syria supra omnes viros eminebat, & alter in Aegypto infra paruitatem incredibilem viuebat. Item Carolus Quintus Imperator cum Bononiam à Summo Pontifice Clemente Septimo

Ecc

diade-

*Homines sta-
tura gigan-
tea.*

diadema Imperij accepturus peruenisset, seruum a pedibus habuit monstrosæ magnitudinis, ut in capite primo huius libri relatum fuit. Et Ioannes Georgius Schenckius narrat se nouisse quemdam Antonium Francken origine Geldrum annum nonum supra trigesium agentem stature propemodum monstrificæ, quia longitudinem septem pedum superabat.

Pariter anno post sesquimillesimum quadagesimo nono, iuxta relationem Licosthenis, natus est puer in agro Tigurino, Ditione Kiburgensi, Parochia Vuifnangua, Maio mense, ex parentibus Ioanne, & Barbara coniugibus, mediocris, & vulgaris stature. Hunc puerum Parochus loci Baptismo expiauit, & Henricum appellauit, cuius postea incrementum omnibus miraculo fuit: nam cum sex aetatis annos absoluisset, proceritatem adolescentis annorum quindecim æquabat, necnon crassitie, & corpulentia superabat, voce magna, genitalibus auctis, & pubertate hispida, neque crescere desijt; Annos quinque natus iugentia onera baiulabat, & aratrum instar hominis adulti moderabat. Hunc omnes ciues Tigurini nouerunt, & Gefnerus se quinquennem uidisse testificatur.

*Andreas sta-
tura gigan-
tea.*

*L. 15. de ci-
uit. Dei cap.
23.*

*Homuncio-
nes.*

Non dissimilis partus nuper in Agro Neapolitano, ex coniugibus vulgaris stature olitoribus in lucem prodiiit, qui sacro Latice intinctus Andreas fuit appellatus, anno salutis post millesimum, & sexcentesium trigesimo primo mense Martio. Hic spatio sesquianni altitudinem octo palmorum cum proportionata corpulentia superabat, cui duarum nutricum alimentum non sufficere perhibebant.

Quod hæcenus de foetibus masculis exposuimus, de foemineis quoque intelligendum esse arbitramur. Legimus enim, sub Iuliano Thrace, mulierem quamdam à Cilicia fuisse aduectam admirandæ stature, quia supra quoscumque homines integrum cubitum eminebat. Memorat etiam Diuus Augustinus mulierem Romæ visam giganteæ molis, antequam Vrbs excidijs Gothorum peteretur.

Ex altera parte nonnulli etiam visuntur monstrosi ob admirandam stature breuitatem: siquidem ætate Valentiniani, in Aegypto vir admodum pusillus conspectus est, & Suetonius Tranquillus testificatur Octavianum Augustum aliquando publice spectandum proposuisse adolescentulum nomine Lucium, honesto loco natum, bipedalimorem, & librarum septendecim. Canopas, teste Plinio, fuit in delicijs Iuliæ neptis Augusti, qui duos tantum pedes cum palmo altus erat. Præteritis etiam annis, ex Historia naturali Eusebij Iesuitæ, homuncio optimè membris constitutus in Hispania conspectus fuit, septennis iam erat barbatus, decennis omne suum robur habuit, & filium genuit.

His addendus est Nanus Illustrissimi Domini Caroli de Crequy vnum, & quadraginta annos natus, & triginta vncias altus, de quo in primo capite huius voluminis egimus. Huic non absimiles Nanos marem scilicet, & læminam fratres Illustrissimus Ferdinandus Cospius Senator Ciuitatis Bononiæ grauissimus, Marchio Petrioli, Eques sacre Religionis Sancti Stephani, pectore Per magna Cruce insignito, Bayulius Ciuitatis Aretij, & Serenissimi Ferdinandi viuentis Magni Hetruriæ Ducis reaptè cubicularius, & vir prudentissimus domi alit; quos ex inopibus parentibus cognomento de Biauatis, iustæ tamen stature hominibus, in Communi *Bagnarola* nuncupato Agri Bononiensis terram colentibus natos curat erudiendos, quoniam hos pumilio- nes ad quamcumque obeundam functionem idoneos obseruauit.

Nanus nomine Sebastianus iam annum sextum supra viginti natus, altitudinem trium dodrantum cum dimidio vix superat. Nana alterius soror nomine Angelica iam vigesimum tertium agit annum, & tamen eius altitudo tres tantum dodrantes, & duas vncias adæquat. Præterea ambo ob elegantem partium proportionem, breui stature corporis congruam sunt admirandi: quapropter vtriusque icones Lectori spectandas proponimus.

Ex al-

Nanus Illustriss. Equitis Ferdinandi Cospij.



Ecc 2

Nana alterius Soror.



Ex altera parte in genere etiam Brutorum similis monstrosa statura quoad magnitudinem, & paruitatem contemplari oportet. Meminimus vidisse pumilos canes, & feles, necnon pumiles gallinas, quæ ob crurum breuitatem ventre terram tangunt. Similes animantes Vulgus Nanas appellat.

In genere Bouum pumiliones interdum sunt conspecti, quorum iconem in Musæo publico inuentam Lectori spectandam damus; quamuis aliqui Authores hoc bouem dicant esse genus, quod Sessorem tanquam equus admittat.

Bos pumilus.



In causis horum monstrorum indagandis, ad Genitores monstriferos non erit confugiendum, quoniam causas genuinas non inueniemus: namq; si homines proceræ staturæ à Gigantibus, & vicissim si homines brevis staturæ à Pygmæis, & Nanis oriantur, proculdubiò hoc monstrificum non erit iudicandum; cum Natura sibi simile semper procreare nitatur. Quamobrem ad validam concoquentis facultatis virtutem unicuiq; parti dicatam nosmet conuertemus (loquendo tamen de proceræ animantis mole) hæc enim cum plus alimenti agglutinat, quam par sit, maius partium fit incrementum: hinc postea nutriendæ partes vehementer attrahunt; sicq; animal validius appetit, & vberiore alimenti quantitatem expostulat.

Causa proceræ, & humilis staturæ.

Quod cunctis animantium partibus attribuimus, de aliqua peculiari parte, v.g. de capite nimis aucto affirmandum erit. Etenim dum cæteræ corporis partes debitam sibi nutrimenti quantitatem assimilant, sola pars illa monstruosa nimiam alimoniam copiam in se conuertit, dum à cæteris partibus tanquam cucurbitula attrahit illud alimentum, quod deinde ab alijs partibus illuc faciliè transmittitur.

Causa brevis staturæ.

Insuper totum oppositum de Pumilionibus erit astruendum, quorum partes parùm attrahunt, consequenterq; parùm assimilant. Præterquamquòd, facultate corpus augente, & ampliante ob aliquam causam labefactata, & fracta, sola virtus nutriens in partium alimoniam incumbit.

Causæ igitur augmentum corporis frangentes, & partium amplificationem impediennes non solum sunt graues, & maligni affectus, sed etiam venena, seu cibaria malignæ qualitatis virus redolentia ante septennium corpus afflicta, veluti contigit duobus Pumilionibus Illustrissimi Cospij, qui ambo in tenera adhuc ætate constituti pullos ob esum tritici putrefacti mortuos elitarunt, & deinceps tumidi facti per quadriennium ægrotarunt: & tandem, cibi maligna qualitate expugnata, virtutem corpus augentem amiserunt: quapropter ab iisdem parentibus ante, & post ipsorum ortum, alij filij in proceritate genitoribus similes egressi sunt.

DE MONSTRIS BICORPORIBVS.

Cap. XI.

Æ Q V I V O C A.



VOMIAM hoc vocabulum bicorpor multos fortitur intellectus in nostra Historia, varios nominis significatus prima facie explanare operæ pretium esse duximus, antequam ad peculiariora huius generis monstra accederemus. Quandoquidem monstrum bicorpor trifariam hoc in loco intelligimus, primò quatenus humana, deinde quatenus belluina, & tertio quatenus media, nimirum ex humanis, & belluinis integrata monstra complectitur, & quandoq; etiam illa, quæ Lucretius corpora bina appellauit his verbis.

— Sed neq; tempore in vlllo

Esse queunt, duplici natura, & corpore bino.

At contemplantes monstrum humanum huius generis, duplici discrimine varium inueniemus; quoniam aliud est duplex in superna parte, & simplex in inferiori. Aliud geminatum in partibus infernis, & superna simplici obseruauimus. Interdum visum est corpus omnibus membris optimè constitutum, & perfectum, cui aliud corpusculum imperfectum agglutinatum adhærebat. Quandoq; accidit, vt duo corpora sint perfecta, & absoluta, sed in vtero matris naturali glutine adeò connexa, vt monstruosam fæditatem, nimirum duas facies, & duo corpora referant, de quibus canere possumus cum Lucretio hunc in modum:

Monstra geminata in parte superiori.

Et duplices hominum facies, & corpora bina.

Hæc